

se sociavit. Sectæ studio inductus haud alium Scriptis *ἑορτυεῖσιν* sensum inesse declaraturus sit, præter eum quem stabiliendæ isti, quam anteaquam ad Scripturam explicandam accessit, ex corruptæ rationis dictatis de fidei Capitibus sibi formavit, ideæ inservire judicaverit. Et quamvis vel ipsa recta ratio ex naturalibus suis Principiis hæc religionis monstra absurditatis evidenter convincere valeat; suos tamen Auctores usque adeo adstrictos ista sibi tenent, ut non tantum pro Mysteriis divinitus revelatis eadem aliis obtrudere, sed & contra eos, qui rejecticia figmenta esse ista demonstrant, defendere annitantur. Quæ vero ad sanæ rationis examen admota indolem statim suam tam manifeste produnt, ut, vel si illa in Scriptura extent, Auctorem ejus Deum non esse, vel, si originem suam Scriptura Deo debeat, talia in ea revelari nullo modo posse pronuntiet.

§. II. Quod si clariori luci exponenda illa sunt, ostenso peculiari quodam doctrinæ revelatæ Capite, in quo inanem hanc operam insumat corrupta ratio, præ ceteris ad Calvinî Scholam nunc delati, fictitium illud de absoluto Electionis decreto dogma intuendo, illic id contingere edocebimur. Etenim licet commentum hoc jam olim, cum inter ardua fidei Mysteria numerari cuperet, in primis incunabulis, tanquam præsentissimum animæ venenum, magno cum Zelo ex Ecclesia ejectum fuerit: in Calvinî tamen sectatorum coetu fixam sibi rursus sedem quæsit, tanta veneratione receptum, ut ex horum societate, si qui sibi adversari audeant, extrudi eos potius, quam de suæ se dignitatis fastigio deturbari postulet. Quæ ipsa adeo istos, qui ad illud munus, quod sacerrimè isti religionis suæ Sacro invigilare jubet, accersuntur, commovent, ut haud cautius illi prospicere se posse arbitrentur, quam si horridam istam faciem, qua foetum hunc à se exclusum corrupta ratio orbi sistit, ascitis ex Scriptura divinæ revelationis pigmentis obfuscare studeant. Itaque qui id negotii sibi datum existimant, quando ad divina Scripturæ oracula interpretanda se conferunt, tantum abest, ut illorum corruptæ ratio-

nis